

## CONCOURS D'ADMISSION DE 2003

Option lettres et sciences humaines

### **LATIN troisième langue**

*Lundi 12 mai 2003 de 8h à 12h*

VERSION LATINE

Durée : 4 heures

Les dieux de Rome ne sont pas intervenus pour sauver Sagonte assiégée (219 av J.C.)

In his omnibus belli Punici secundi malis nihil miserabilius ac miserabili querella dignius quam exitium Saguntinorum fuit. Haec quippe Hispaniae civitas amicissima populi Romani, dum eidem populo fidem servat, eversa est. Hinc enim Hannibal fracto foedere Romanorum causas quaequivit, quibus eos irritaret ad bellum. Saguntum ergo ferociter obsidebat ; quod ubi  
5 Romae auditum est, missi legati ad Hannibalem, ut ab eius obsidione discederet. Contempi Carthaginem pergunt querimoniamque deponunt foederis rupti infectoque negotio Romam redeunt. Dum hae morae aguntur, misera illa civitas opulentissima, suae rei publicae Romanaeque carissima, octavo vel nono a Poenis mense deleta est. Cuius interitum legere,  
10 quanto magis scribere, horroris est. Breviter tamen eum commemorabo ; ad rem quippe quae agitur multum pertinet. Primo fame contabuit ; nam etiam suorum cadaveribus a nonnullis pasta perhibetur. Deinde omnium fessa rerum, ne saltem captiva in manus Hannibalis perveniret, ingentem rogum publice struxit, in quem ardente ferro etiam trucidatos omnes se suosque miserunt. Hic aliquid agerent dii helluones atque nebulones, sacrificiorum adipibus inhiantes et fallacium divinationum caligine decipientes ; hic aliquid agerent, civitati populi  
15 Romani amicissimae subvenirent, fidei conservatione pereuntem perire non sinerent. Ipsi utique medii praefuerunt, cum Romanae rei publicae intericto foedere copulata est. Custodiens itaque (1) fideliter, quod ipsis praesidibus placito iunxerat, fide vinxerat, iuratione constrinxerat, a perfido obsessa oppressa consumpta est.

SAINT AUGUSTIN.

(1) *itaque* = *et ita*

Rappel : l'utilisation de toute calculatrice et de tout matériel électronique est interdite.  
Seul document autorisé : un dictionnaire latin-français BORNÉCQUE, GAFFIOT, GOELZER ou QUICHERAT.